

Sigismundus primus rex Poloniae,
archiepiscopo Strigoniensi.

130

Non est incognita vestre paternitati calamitas magnifici Stephani de Bathor cum coniuge sua, à qua ut sint aliquando liberi, credimus omnes bonos, vereque laudis gustum habentes, eis operam suam sedulo navare. Scribimus iterum serenissimo et charissimo nepoti nostro, serenissimeque domine reginae, et rogamus ut suae maiestates iam tandem auctoritatem et gratiam adhibere dignentur, quod ipse Stephanus ab hac calamitate celerius liberatus, ad pristinum dignitatis gradum restituatur. Vestram etiam paternitatem rogamus, ut quae sua est prudentia et probitas, eorum calamitatem iusto examine dimetiatur, agatque ea dextentate, qua in aliis rebus magnis agendis uti solet, ut in impetranda eis gratia, et restituenda eis dignitate amissa, voti compotes fiant. Quidquid autem vestra paternitas in hac re perficienda nostra causa faciet, id erit nobis valde gratum. 1524.

